

Erce. Stud. Univ. Jagell.

Promotioes Phil. Ord.

1749. 19 men. Novemb.



C. B. BIBLIOTHECA
UNIVERSITATIS
JAGIELLONICAE
CRACOVENSIS

Kat. Komp.

3429

III.


Mag. St. Dr.

P

Trerza 2877.

Babicki Valentini: Splendor eruditae virtutis

*IV. V. D. D. prima laureae Candidatus ex multi-
pluribus stellarum firmamenti specie inclarescens.*



S P L E N D O R

Eruditæ Virtuti

IV. VV. DD. Primæ Laureæ
Candidatorum.

Ex multiplici Stellarum Firmamenti specie

INCLARESCENS.

Et dum

In Alma Universitate Cracoviensi,

Ab

Illustri. Clarissimo & Admodum Reverendo Domino

D. M. P E T R O

F I L I P O W S K I,

Philosophiæ DOCTORE & PROFESSORE, Collegæ

Minore Universitatis Syndico,

ritu solenni

AA. LL. & Philosophiæ Baccalauri

renuntiarentur;

a

V A L E N T I N O B A B I C K I

Ejusdem Laureæ Candidato,

Affectûs & gratitudinis ergo

applausu Pòético

DEMONSTRATUS.

Annò quò Lumen Increatum Salvator generis humani Orbi
inclaruit. 1749. Die 19 Mensis Novembris

CRACOVIAE TYPIS UNIVERSITATIS

IN ILLUSTRIS SIMUM
JANOWSCIORUM
Stemma.



Hæc Aedes superùm custodit CLAVIS & Aras,
Illam ferrugo lædere nulla potest,
Usibus à multis longè fulgentior extat,
Et referat Magnis ostia celsa Viris.

BIBLIOTHECA
VNIV. IAGELL.
GRACVIENSIS.

3429 III

PERILLUSTRI
&
REVERENDISSIMO DOMINO
D. NICOLAO
JANOWSKI,

Utriusq; Juris DOCTORI, CANONICO
Luceoriensi Insignis Collegiatae Lublinensis
DECANO ac OFFICIALI
PRÆPOSITO CIEMIERNICENSI
Domino & Mecænati Amplissimo.



*Rimam in Philosophia Lauream quam No-
mini & Honoriq; Tuo corde & animo offero
Beneficâ non dedignaberis acceptare dexterâ
Perillustris & Reverendissime Do-
mine, Dñe Mecænas Faventissime.
Pridem equidem laureatarum Lechico in Or-
be verus amator & læstimator nosceris frontium nec majus Tibi
aliunde videtur advenire solatium quam à literis & Palladis Da-
pbnide docta. Sculptas olim in annulo Musas venerabatur Pyr-
rhus eruditissima Frons Tua studiosarum mentium vere potest dici
Muzæum. Adumbret colorum lineamentis Minervæ prothotypon
Parchasius ex Fronte Tua propter elegantissimam omnis cultu-
ram eruditionis doctissimus describi posset Demosthenes vel noven-
narii Musarum Chori Præses Apollo. Dicant suggestus narrent
Doctorum Cathedræ Tuam cum benefactis probitatem, ut Pho-
sphorus claret ut radiat Tytan sic Tua virtus inclarescit. Vita
Tua innumeris digna encomiis quædam virtutum creditur esse
Palestra in qua sola nonnisi virtus scientiis conjuncta refulget.*

Candor in Te animi sat placidus quo Supremum revereri Numen Divos colere Cœlites probitati invigilare indies rectissima mente conaris. Sive tenerior sive maturior Tui ætas spectetur hac Argo ipso circa virtutem ac literas vigilantior fuit. Roscios vel Hortensios qui non novit Te intueatur, ore Tuo & Tullium loqui & Hortensium florere fatebitur. Nec Thymantis sub velamine, nec ulla laudatissimæ processus vitæ Tuæ latere potest sub cortina, Quotcunq̃ in Vineâ Christi opera facis auro sunt vel immortalis cedro inscribenda. Tanti Tuus cum pietate de animarum lucro æstimatur zelus quanti valoris inter luminaria Phœbus. Viderat indefessos & fere Atlanticos Tui, Illustrissimus Luceoriensis Cathedræ Antistes; actus, hi, ut gratius Lechico inclarescerent Orbi, eos cum singulari favore Per-augusti gremio Capituli adjunxit. Ornant Luceoriensem Diocesim Virtutes Tuæ comitas morum, modestia, rebus ac negotiis in pertractandis solentior prudentia, quæ in Te summè eminent & omnibus affabilem reddunt. Lublinensem Collegiatam ita Decanali exornas honore ut Te ipso insignior & illustrior reddatur. Quodsi Jurisperitia in Te spectetur tam amplam nactus es quantum se leges Divinæ & Humanæ Sacræ & Civiles protendunt. Inde est quod Te Judicem æquissimum venerantur singuli quorum causas in statera Divæ Themidis ita libras, ac si ipsa Themis libraret; ita justè decernis ac si sola decerneret justitia. Nemo est qui animi Tui rectitudinem non noverit, nemo qui non experiatur Clementiam, nemo qui ex eo optimum non fateatur Judicem quod Justitiæ adjunxeris Benignitatem. Æstimat hæc Celsissimus Princeps Illustrissimus & Reverendissimus Dominus ANDREAS in Zaluskie ZALUSKI Episcopus Cracoviensis &c. & Te Lublinensem Officialem tanquam Judicem Idæam Bonorumq̃ in suo Ovili Pastorum exemplar magno affectu complectitur. Non reticet eximium Te fama Virum innumeris dignum encomiis, imò laudibus Te majorem omnibus gloriosissima facta Tua loquuntur. Velles quidem illustres actiones Tuas sub nube congenitæ modestiæ Tuæ latere, sed nequaquam possunt sub umbra

latere

latere quas Ecclesiarum decora quâ curâ quâ solitudine quâ
munificentiâ Tuâ alibi aucta alibi ex integro provisa quas continua
Orphanorum iuvamina erogatiq; in pauperum subsidia liberales
census manifestant & singulis notissimas faciunt. Ampliora in
elogia Tua assurgere aut redefacta Scholasticâ describere pennâ
& innata Tui modestia vetat & Clavis Gentilitia os clien-
tale claudit. Loquetur sera posteritas quantum Ecclesiæ, quan-
tum Bono Communi proficius fueris, nec effusum in Literatos a-
morem ulla unquam obliterabit vetustas. Quare dabis veniam
Mecænas Faventissime quod elegantiori stylô virtutes
Tuas describere, Honoriq; Tuo applaudere condignè non possim
Laureas nonnisi Philosophicas quibus tempora nostra Jagellonica
adornavit Pallas benefico Tuo uti obligatissimus Cliens Nominè
offero, has ut gratiosa acceptes manu humillime exposco simulq;
precor ut Te Mecænatem æstimatissimum Boni Superi
in decus Ecclesiæ, Patriæ præsidium meiq; tutelam incolumem
quàm diutissimè servent.

Perillustris ac Reverendissimæ
Dominationis Vestræ

Devotissimus Cliens & humillimus servus
VALENTINUS BABICKI P. B.
Author OPeris.

S P L E N D O R I
Virtutibus Sapientiâ ac Meritis
L U C I D I S S I M O
B. JOANNI CANTIO,
Regni Poloniae & M. D. Lithuaniae
P A T R O N O,
Universitatis Cracoviensis
P A T R I A R C H Æ.

O D E V O T I V A.

C R a c i i s p l e n d o r r a d i a n s L y c æ i ;
G e m m a D o c t o r u m p e r a m i c a C æ l i s ,
F r o n t i u m L a u r u s , r e n i t e n s S u p r e m i
S i d u s O l y m p i .

M e n t i u m c l a r o r ; Z e p h y r u s , C o r o n a
P u r a c r y s t a l l u s ; F a v o r A l m e C A N T I
D i c e r i s v a s t u m r e s o n a n s p e r O r b e m .
D i v e J O A N N E S .

Q u o t m i c a t s t e l l i s P o l u s i n t e r A r c t o n .
C i r c u l o s i n t e r T r o p i c o s q u o t i g n e s
S p h æ r a p r o t e n d i t T u a t o t B e a t e ;
D o n a r e f u l g e n t .

C u n c t u s a p p l a u d i t r a d i i s P l a n e t a
N o m i n i S a c r o ; f a m u l a t u r æ t h e r
G r a t i a m P a t r i s r e f e r e n s B e a t i
L u c e p e r o r a s .

D u c t a p e r l a t u m d u o d e n a g y r u m .
S i g n a ; t u m f l a m m æ s u p e r a x e , p u l c h r o

In triumphales abeunt colossos
Ordine sparsæ.

Occidens ortus Boreas vel Auster
Lampades quotquot retegit micantes,
Opticis quotquot meteora lustrat
Flammea vitris.

Illæ devotè litat in perennes,
Quippe quod fulgens species Olympus
Luminum profert oculo videndas
Patris honores.

Candor ac splendor sine nocte clarens
CANTIUS Cælo Diadema gestans
Fulgidæ pridem Empyreæ Cohorti
Annumeratus.

Irides comptos pariunt colores,
Luce stellarum redeunt serena
Circulis Tempe, spatiosiori
Lux speciosa;

CANTIUS terræ, jubar à potenti
Auge largitur, nimio gravatis
Frontibus propter studium labore,
Omina præstat.

De Polo mittit nitido favores
Floribus pulchri sociata veris
Atque Cælesti decorata rore
Serta redonat.

Ergo votivas damus arte voces
Solvimus grates Tibi splendor Alme
Cordibus pronis pariter rogamus,
Serta, corollas.

Protegas splendore Poli favente,
Nam Tuum Nomen radiat Beatum
Gratiis; claret Benedictione
Omne per ævum.

Illustribus Clarissimis & Admodum Reverendis Dominis.
DD. EXAMINATORIBUS

Illustri Clarissimo & Admodum Reverendo Domino,
D. M. PETRO FILIPOWSKI,
Philosophiæ DOCTORI & PROFESSORI, Collegæ Minori,
Universitatis Syndico, ac interea Facultatis Philosophicæ
DECANO.

Illustri Clarissimo & Admodum Reverendo Domino,
D. M. ANTONIO
ZOŁĘDZIOWSKI
Philosophiæ DOCTORI, Ejusdemq; Cursûs Vladislaviani PRO-
FESSORI, Collegæ Majori, Ecclesiarum Cathedralis Cracovien-
CONCIONATORI Garvasciano, Collegiatæ S. ANNÆ
CANONICO in Krzęcin CURATO.

Illustri Clarissimo Domino,
D. M. JACOB O
MARCISZOWSKI,
Philosophiæ DOCTORI Ejusdemq; ac J. U. PROFESSORI,
Collegæ Minori, Contubernij Jurisperitorum SENIORI.
In vim gratitudinis & applusûs
Phœnicem, circa Antardicum Stellarum elegantia clarentem.
Cum Lemmate: *immortalia signo.*

Ode Dicolos Tetraastrophos offert.

Sonos per Orbem Pieridum Cohors
Ssuavi susurrò multiplicet, melos
Apollo gratius per oras
In Cythara geminet tonanti,
Celer bicolli vertice Pegasus
Currente flammâ excutiat pede
Viris ab eruditione
Et probitate sua decoris.
Nunc fama voces concitet obviis
Pulchro labores nuntiet ordine
Nunc æta, nunc nomen Virorum
Rite canat merito refulgens:

Ut

Ut luce Phoenix fulget in æthere
Ut splendet Orbi lumine Phosphorus
Sic eruditorum patienti
Orbe micat probitas Virorum.

Primi, labores sat celebres Viri,
Postquam lacertos purpureâ Togâ
Texere, verâ laude dignum
Palladiæ referunt Cathedræ

PETRUM: tot actus totq; negotia;
Quæ mente doctâ gesserat inclytæ
Pro parte Matris, sunt aprica,
Illa magis celebrentur ex se.

Certè secundus prominet ordine
Virtute fulgens dotibus ingenii
ANTONIUS, facundior
Tullius eloquið virescens.

Doctos Athenæ, Stoa, ferant Viros
Zeno profundus disputet aut Plato
ANTONIUS subtilitate
Ingenii superat Platones.

Virtus JACOBI fulgida permanet,
Doctrina, constans in Cathedris labor
Isocratem disertior
Prædicat ac resonat Periclem.

Septentrionis non reticet Polus
Albæ Ducalis quàm vigilans fuit!
Professor ac celebrior
Palladis in studio Magister.

Majora Vobis Indolis Arbitri
Encomiorum dicta forent metris
Promenda, virtuti dicanda
Eximix satis ac probatæ.

Jam quæso tractis parcite versibus
En gesta Vestrum floridius sonant
Quàm dictio quàm scripta pennæ
Quàm modulamina juncta verbis.

Magni labores de Superum manu
Sumant Coronam, munera de Polo
Pro gratia, propensionis
Ista manent documenta nostræ.

Vos Vos perennis latificet nitor
Phoenicis, immo lux faveat bonæ
Vitæ per annos longiores
Vocibus ac animo precamur.

S P L E N D O R

Eruditæ Virtuti

Ex multiplici Stellarum Firmamenti specie
IV. VV. DD. Primæ Laureæ Candidatorum
INCLARESCENS.

II. V. D. JOSEPHO GRZYBINSKI

*Hercules in parte septentrionali positus, multorum splendore
Siderum insignis offertur.*

Cum Lemmate: *Vi luminis ornat.*

TE Tua gesta canunt, virtus candore serena;
Herculeæ certo symbola lucis habet.

Ingenii dotes; solertia mentis acutæ

Flamma velut doctæ Palladis arte nitent.

Moribus in cultis gravitas; industria; tanti

Sideris in Dio significata tenent.

Hæc Tibi stellarum series sit sortis abundæ

Indicium fiat certus honoris apex.

III. V. D. JOANNI GORAYSKI

Corona septentrionalis numerosis magni effectus insignita sideribus.

Cum Lemmate: *Decor splendore paratus.*

Pulchris docta Tuis justa laboribus
Pallas præmia conferens;

Exornat viridi tempora laurea.

Plausus exhibet indoli,

Virtutem decorat lumine prospero

Stellarum placidus nitor;

Hic

Hic Fronti radio lucis ad optimos
Gressus omina porrigat,
Planè gesta Tui sidereum jubar
Blandè lætificet; precor.

IV. V. D. THOMÆ RECZYNSKI

Argonavis à parte Australi plurimorum lumine siderum refulgens.

Cum Lemmate: *Nil metuit Syrtes.*

FRons animusq; Tuus dextrè certamina vicit
En legit excultus laurea ferta labor.
Noscitur ungue Leo, cognoscitur Hector ab armis
Hectora Te firmum mens generosa probat:
In scopulos alii currant aut mille pericla
Est labor ac animus victor utrinq; Tuus.
Tam firmæ menti Coeli præfulgeat Argo
Hæc Tibi luce vehat; prospera cuncta; precor.

I. V. D. VALENTINO BABICKI

In vim propensi affectus,

^A
JOSEPHO GRZYBINSKI

*Aquila ad septentrionem posita pluribus magnæ virtutis
adornata stellis præsentatur*

Cum Lemmate: *Auspiciis decorata secundis.*

EXimiis Aquilæ facies præfulgida stellis
Non procul à Tropico terris sua lumina pandit
Ista Tuæ specimen probitatis in orbe remonstrat
Palladio, docti profert documenta laboris
Artis & ingenii signum describit in astris
Insper in splendore suo Tibi fausta recondit
Ergo successus Aquila Duce collige faustos
Lauru sub viridi fortis Te ver peramænum
Recreat, & stellis quævis momenta dierum.
Prospera dinumeres vita currente per annos.



SUB FELICISSIMO REGIMINE
MAGNIFICI PERILLUSTRIS & ADMODUM
REVERENDI DOMINI

D. M. CASIMIRI
PAŁASZOWSKI,

S. Theologiæ DOCTORIS & PROFESSORIS,
Collegæ Majoris, Ecclesiarum Collegiatarum S.
FLORIANI Clepardiaë CUSTODIS, Curelovi-
ensis DECANI, Parochialium S. STEPHANI Cra-
coviæ PRÆPOSITI, in Czerniechow CURATI,
Scholarum Novodvorscianarum & Contubernij
Hierosolymitani PROVVISORIS, Canonizationis
B. JOANNIS CANTII PROCURATORIS,
Studij Generalis Universitatis Craco-
viensis, Vigilantissimi

RECTORIS.



Biblioteka Jagiellońska



stdr0023089

